

rum? an *Tradescantia geniculata* habeat filamenta hirsuta? *Anne Kleynia* Tua et *Porophyllum* Vaill. sit una eademque planta? Cur *Spilanthen* voces discoideam, cum tamen radio 5 flosculis luteis constructo, fide *Marcgravii*, gaudeat?

Video quotidie in Tuo libro tot raras species novasque, tot genera pulcherrima, nec satis novi, hoc me dolore afficit et summo desiderio videndi, nec possum me expedire. Species Tuas in mea vita editas non est quod sperem, utinam possem videre characteres naturales horum generum. Quaeso edas quam primum si mea vota apud Te quidquam valeant.

*Asclepiades* hac aestate examinavi. *Periploca* graeca his proxima affinitate juncta et magnis floribus, in qua manifestissime quinque stamina, ne dicam de affinibus, *Apocynis*, *Neriis*, *Vincis*. Dum confero *Periplocae* graecae flores cum *Asclepiadibus*, video distincte stamina *Asclepiadis* 5, et reliquos non esse stamina.

Diu est quod quaesivi a *Typographis* et *Bibliopolis* *Halperi* emendationes in *Synopsin* *Helveticam*, nec potui obtinere. quaeso dicas mihi nonnulla quae in eo libro emendavit.

*Scopuli* dicit se misisse suum librum, sed non obtinui, fac ut sciam quas primarias habeat observationes.

Utinam *Petropolitani* vellent assumere optimum *Kramerum* ad *Professionem* botanicam ibi vacantem, certus sum quod eam ornaret quam maxime. nec facile obtinerent praestantiozem. De eo scripsi; videtur mihi bonus vir esse pauper, sed ad *Botanicam* natus.

Novum meum et verissimum *Rhabarbarum* *sinense* egregie viget, sed hoc anno non floruit.

*Volkameria* *mitis*, quam per decem annos in horto alui, nec qualis erat sciveram, nunc prodidit se floribus. Habeo et 6 s. 7 alias *Indicae* orientalis plantas, quae recusant floribus se declarare, quamvis eas multis annis colui.